Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25986
Copyright: Admont, Benediktinerstift

mysterii designatur. quam nullus solvere potuit. nec ipse iohannes. Et ideo dicit cuius non sum dignus calciamenta portare. id est mysterium incarnationis eius penetrare. Et revera nullus penetrat quomodo ille qui sine initio est et fine incipit esse et concipitur. Ipse baptizabit vos in spiritu sancto et igni. id est in spiritu sanctificationis et igni tribulationis. In spiritu sancto baptizat id est mundat. cum per donum sancti spiritus nobis peccata relaxat. In igne. cum per ignem tribulationis nos probat ut est. Vasa figuli probat fornax. et homines iustos temptatio probationis. Aliter per ignem idem spiritus sanctus potest intelligi. qui ignis ideo dicitur. quia quos replet. et inflammat per amorem. et illuminat per scientiam. Hinc est quod sancti apostoli quibus est promissus spiritus sanctus. cum postea in igneis linguis perceperunt. Aliud dicitur dominum in presenti baptizare in spiritu sancto illo modo quo est dictum. et in igni. in futuro. id est in igne purgatorio. Unde psalmista. Transivimus per ignem et aquam. Et apostolus de eo qui super fundamentum fidei edificat ligna. fenum. stipulam. id est minuta peccata. dicit. Ipse autem salvus erit sic tamen quasi per ignem. Gregorius autem dicit. quia si ipsa levia plura fuerint illic mergunt. nisi hic quisque studuerit aliis bonis operibus insistere ieiuniis. orationibus. vigiliis.

[margin: nos]

Cuius ventilabrum in manu sua. et permundabit aream suam. et congregabit triticum in horreum suum. paleas autem comburet igni inextinguibili. Per ventilabrum discretio iudicii. per manum potestas eiusdem intelligitur. Ventilabrum habet in manu. quia iudicium in potestate. ut est. Pater non iudicat quemquam. sed omne iudicium dedit filio. Per aream sancta ecclesia. in qua plures sunt palee quam grana. quia plures mali quam boni. ut est. Multi sunt vocati. pauci vero electi. Quam dominus et in presenti purgat. vel cum per sacerdotum iudicium mali pelluntur de ecclesia. vel cum per sententiam mortis tolluntur. Purgat et in futuro cum mittet angelos suos et colligent de regno eius omnia scandala. et eos qui faciunt iniquitatem. Per triticum electi. per horreum mansiones regni celestis. per paleas reprobi et leves bonis operibus designantur. Tunc igitur dominus congregabit triticum in horreum. et paleas comburet. comburet igni inextinguibili. quando sanctos collocabit in mansionibus regni celestis de quibus dictum est. In domo patris mei mansiones multe sunt. et malos mittet in penam eterne dampnationis. Ignis ille inextinguibilis dicitur. quia nec ipse extinguitur. nec extinguit quos suscepit. sive ad distinctionem illius salutaris ignis id est purgatorii qui ad tempus extinguitur. .xxii.

Tunc Iesus venit a galilea in iordanem ad iohannem. ut baptizaretur ab eo.